

P R Æ F A T I O

Etus seponendo. (quod statim monstrabo) laude debita, sed solida ac verace, illos prosequi, nec erubescam, nec desistam. Quam rem, ut pudori nulli mihi duco; ita fraudi esse non debet, quod non magno talium numero elogia paria tribuam: Cum illud in medio relinquam, annon potius reliqui angustioris mei studii ea sit culpa, quod non omnes, qui parem laudem mererentur, evolverim: Quam iudicii, alibi pari laude digna, non invenientis. Quod autem, (quæ est præcipitium animorum temeraria imputatio) arrogans sit, publice de me promittere, quod æque atque quisquam alius, Becchero exponendo aut illustrando, parem me existimem; statim peribit omnis hujus intentionis species, si fata auctoris, scripti, & objecti, in quo occupatur, recte cognita fuerint: Quæ proinde, quantum necesse sit, evolvere atque deducere operæ pretium fuerit. Quis fuerit JOHANNES JOACHIM. BECCHERUS, tantum abest, ut per vestigare laboraverim, ut ne quidem operæ pretium duxerim, Virum Doctissimum, Dn. Detlevum Cluwerum quaestione aliqua onerare, cum nuper in suis eruditissimis Observationibus, facta Beccheri mentione, paucis verbis indigitaasset: *Beccherum gente Judæum fuisse.* Profecto enim undecunque in mundum delapsus esset Vir, modo *bonus, probus, verax, doctus, peritus,* verbi & factis ab *ambitione & vanitate* atque *falsitate* alienus; ego illum non magis parvi pendendum censuerim, quam illos magni faciendos, qui in communi patria, imo (quod absit) in domo mea, nascerentur, contrariis modis affecti. Nec enim verbis & apophtegmatum elegantissimis, sed ipsa re, serio scio, agnosco, sentio ita, imo ita vivo, *ut omnia illa, quæ fortuna extrinsecus adjecit, majoris non faciam, quam vestem pictam, aut phaleras; quæ nihil pretii facere possint homini æque ac equo, internis donis atque indole destituto* Unde a juventute mea placuit illa *Barclaji,* non minus ingenua, quam ingeniosa loquendi formula, qua bonum, & probatæ virtutis virum describit, *dignum, quem omnium gentium vota optent civem.* Non itaque quis & Noster fuerit, interesse puto, sed *qualis?* Abstraho iterum, non solum a *fama,* sed *vite* omnino testimoniis; si dispari respectu *laudari* meruerit, qui alio *vituperari* possit. Quamvis enim detester illum hodiernum morem, ubi ad scamna scholastica pertinere videtur, virtutem laudare: Imo jam illa quoque, si levis etiam venali linguæ sit merces, assentationibus vitia laudare, flagitia dissimulare, discunt: Adeoque minime probandum, aut insuper habendum, censeam, quod laude caret: Tamen,

sepo.